

vice uenit. Vis eius adstringere, perurgare, extergere, siccare, excreſcentia conſumere, vlcera ſerpentia, & quæ cacoëthe uocant, ad cicatricem perducere. Suppurationes terebinthina, aut cerato exceptum diſcutit.

DIPHRYGIS genus illud, quod perfecti æris quaſi ſubſidens fax eſt, poſt frigida aquæ offuſionem, ut Dioſcorides inquit, ſæpe ac ſæpius uidimus in ærijs fornacibus, Tridentino agro, & comitatu Tirolenſi, ac inde etiam nobiſcum detulimus. Sed quod è luto in Cyprio illo ſpecu ſoditur, uriturq; ſarmentis: quod item è pyrite lapide calcis modo exuſto conſtatur: quod demum ex ſola æris materia ſit, cum in æreis aſſatur, & in ſcrobis translata peruritur, hæcenus mihi uidere non licuit: nec eorum, quod ſciam, ſpeciatiſimè meminit Galenus. qui libro IX. ſimplicium medicamentorum de Diphryge in hunc modum diſſeruit. Diphryges miſtam habet tum qualitatem, tum facultatem: habet enim in ſeſe quiddam & mediocriter adſtringens, & mediocriter acere. quamobrem ulcerum rebellium optimum medicamentum eſt. Conuexi autem & huius medicamenti uim ingentem ex Cypri Solis, ubi metallum ab urbe abeſt, quaſi triginta ſtadijs. Proiectum erat enim in medio ſpatio ædium, quæ ante metallum extructæ erant, & uici, qui ei ſubiacet. Cæterum præfectus, ac procurator metalli, id quod poſt cadmiam reperiretur, eſſe dicebat inutile: itaque abiecti, non ſecus atque uſtorum in ſoco lignorum cinerem. Verum hoc mihi ad multa utile factum eſt medicamentum, tum ad putreſcentia oris ulcera, ſiue per ſe, ſiue cum melle, cui detracta ſit ſpuma, tum ad anginam, uidelicet ubi iam per adſtringentium medicaminum auxilium conſtitit, quod inſluebat. Præterea columellam ubi præſecuiſſem, ipſo ſolo, & ſtatim, & uſque ad cicatricem ſum uſus: ac frequenter exactè ocluſam efficit cicatricem tum huius particule, tum omnium adeo exulceratorum: ſic in ulceribus omnibus pudendorum, atque ani. Uſus autem ſimilis eſt in oris ulceribus: ſiquidem eæ partes eiſdem ſerè medicamenti gaudent, nimirum calida ſimiliter, & humida. Et libro IIII. de compoſitione medicamentorum ſecundum genera, ſic inquit. Porro diphryges appellatum pharmacum, ulceribus ægrè humiditatis uitio ad cicatricem uenientibus aptiſſimum eſt: ualidè nanque ſecat, et ſi modicè mordeat. Enimuerò id quoque præter acrem tum qualitatem, tum potentiam uim habet adſtrictoriam. Quod Græcis διφρυγῆς, Latinis item Diphryges, Arabibus Diphrygis, Italis Diphryge nominatur.

Diphrygis cōſideratio.

Historia, & uires ex Gal.

Nomina.

Αὐριπιγμένον. AVRIPIGMENTVM. CAP. LXXX.

AVRIPIGMENTVM in eiſdem metallis, quibus ſandaracha, gignitur. Optimum exiſtimatur cruſtoſum, aureo colore micans, nulli materiæ permixtum, in ſquamas fiſſile: quale in Myſia Helſponti naſcitur. Huius duo genera fluxerunt. vnum ſuprà dictum eſt. Alterum glandis effugie, pallidum, & colore ſandaracham imitans, gleboſum ex Ponto, & Cappadocia defertur: quod etiam ſecundum locum tenet. Torretur in teſta noua, uiuis carbonibus ſubiectis, aſiduoq; verſatur, donec igne flagret, & mutet colorem: deinde refrigeratum, tritumque reconditur. Vim habet adſtrictoriam, & erodentem. Cruſtas cum uehementi uredine, & uolento morſu excitat. reprimat quæ excreſcunt, & capillos euellit.

Σανδαράχη. SANDARACHA. CAP. LXXXI.

SANDARACHA probatur ruſa, & ſaturatior, & aliena materia uacans, friabilis, cinnabaris colore, ſulphuris uirus redolens. Dos eadem, & uſtio, quæ auripigmento. Explet alopecias, reſina excepta: & ſcabros unguis cum pice eximit: contra phthiriaſin ex oleo efficax eſt: tubercula cum adipe diſcutit. Prodeſt ad narium, orisque vlcera, & cæteras papularum eruptiones cum roſaceo: itè cōdylomata. Datur ex mulſo, purulenta extuſiſſentibus. ſuffitur quoque cum reſina, aduerſus ueterem tuſſim, rapto per fiſtulam nidore: uocem expedit cum melle delineta: ſuſpirioſis cum reſina in catapotio optimè datur.

AVRIPIGMENTVM, & Sandaracha, medicamenta ſunt eiſdem tum generis, tum facultatis, nec inter ſe in alio differunt, quàm quòd alterum magis, alterum uerò minus excoctum fuerit in terræ uiſceribus, ubi gignuntur. Unde etiam ſequitur, quòd alterum altero tantum uirium tenuitate præſtet. Quandoquidem nil aliud eſt ſandaracha, quàm auripigmentum, quod maiori naturæ coctione colorem rubeum contraxit, & tenuius effectum eſt. Id quod periculo arte factò uerum deprehenditur. quippe ſi fiſſili: uel uitreo uaſe uratur auripigmentum, ſubſtratis candidibus prunis, breui (ut mihi pluries experientia compertum eſt, flammeum, & ſummè rubens contrahit colorem, perinde ac ſandaracha: eoq; magis, quò plus calorifici ignis arte fuerit expertum, quàm ipſa ſandaracha naturæ ui fuerit aſſecuta. Sandaracham ſummè rubens uidimus primùm Venetijs in officinis, ubi auripigmentum, & cæteri ueneunt colores pictoribus expetiti. Veruntamen animaduertendum eſt (ut ſuperius libro primo diximus) quòd hæc illa uulgaris Sandaracha non eſt, quam Vernicem ſcriptoriam officinæ appellant: ſiquidem nil aliud hæc eſt, quàm gummi iuniperi. Errorẽ autem fecere neoterici illi, qui Mauritanorum nomina ſecuti (ijs enim gummi iuniperini ſandarax dicitur) idẽ gummi ſandaracham nominauerunt: ita nomina turpiter conſundentes, ut imperitis ſæpe grauitè in rebus ipſis errandi præbeant occaſionem. Quamobrem ubi in Arabum monumentis, uel eorum, qui Arabicam ſactionem in omnibus ſequuntur, medicamentum aliquod repertum fuerit, quòd ſandaracham excipiat, de iuniperi gummi perpetuò intelligendum erit: ubi uerò id in Græcis codicibus inuentum fuerit, ea quidem ſine contro- uerſa

Auripigmenti, & Sandarachæ conſideratio.

uersa erit assumenda, de qua hic differit Dioscorides. Vocauerunt præterea recentiorum nonnulli Sandaracham quoque Sandycem, quam è combusta cerussa conficiunt, quòd fortasse hæc colore admodum rubescat. Sed hæc ab illa (ut supra retulimus, cum de cerussa sermonem haberemus) uiribus, & qualitatibus plurimum distat. Est & Sandaracha ceruginosis mellis genus, si Plinio credimus, qui libro XI. cap. VII. eius meminit. Cæterum illud non est silentio prætereundum, quòd Arsenicum officinis crystallinum uocatum, ideo quòd crystalli modo pelluceat, non fit per sese, nec sponte nascitur in auripigmenti fodinis, ut scribit Vannocius cuius meus in sua pyrotechnia, qui nos aliis eius fidem secutos, in hunc suum errorem deduxerat, sed arte ex auripigmenti scobe admisto sale. Sumunt enim artifices auripigmenti scobem, & cum pari salis pondere miscent, teruntq; simul, & subinde operculatis fictilibus huic operi inferuentibus, ignium uè tandiu coquunt, quousque id omne in sublime feratur, & operculo adhæreat, con-
 10
 crescatq; in lapidem: idq; toties repetunt, donec adeo purum efficiatur, ut crystallum referat. Auripigmenti uires reddidit Galenus lib. IX. simp. med. sic inquit. Arrhenicum, siue arsenicum facultatis est causticæ, siue urentis idq; tam combustum, quam uestionis expers. Cæterum id constat uestione reddi tenuiorum partium. Utuntur porrò eo, ceu adurente ad denudandam pilis partem quamuis. Verum si diutius inhæreat, nec cuti etiam ipsi parcat. Idè de sandaracha eodem libro scribens, inquit. Sandaracha urentis est facultatis, ceu arsenicum quod uocant. Merito itaque que eam digerentibus facultatibus commiscet, atque extergentibus. Metallicum, quod Græci ἀρσηνικόν & ἄρσηνικόν, Latini Arsenicum, Arrhenicum, & Auripigmentum uocant: Mauritanii, Harneth, seu Zarnich: Itali, orpimento: Germani Auripigment, & operment: Hispani, Oropimente. Quæ uerò σαδραχάχη Græcè, Sandaracha Latine pariter et Italicè uocatur: Arabicè, non secus atq; auripigmentum, Harnet, & Zarnich.

Auripigmenti, & Sandaracha uires ex Galeno.

Nomina.

ΣΤΥΡΓΗΡΙΑ. ALUMEN.

CAP. LXXXII.

20

ALUMINIS omne ferè genus in Aegypto, & in eisdè metallis inuenitur: etenim scisile quoddam, quasi flos glebosi intelligitur. Gignitur & in alijs quibusdam locis, in Melo, in Macedonia, in Liparis, Sardinia, Hierapoli Phrygiæ, Aphrica, Armenia, & plerisque alijs regionibus, sicut & rubrica. Plurimæ eius species: uerum ad medendi usum scisile, rotundum, & liquidum expetuntur. Optimum est scisile, præsertim recens, candidissimum, gustu perquam adstringens, graue olens, calculorum expers, nec glebulosè aut alsulosè compactum, sed figillatim in capillamenta quædam canescentia dehiscens: quale est, quod trichites, quasi capillare nominatur, in Aegypto natum. Reperitur quoque lapis huic alumini persimilis, qui gustus iudicio dignoscitur, quòd non adstringat. Damnatur in rotundi genere, quod manu confictum est: sed ex figura deprehenditur. Assumendum autem suapte natura rotundum, bullis turgens, albo propius, atque ualidius adstringens, præterea nonnihil palloris cum quadam pinguitudine præ se ferens, sine arenis, friabile, natione Aegyptium, aut ex insula Melo. Liquidi probatio, ut sit lympidum, lacteum, æquale, & semper succo madens, sine lapidibus, atque quendam coloris igniculum expirans. Vim habent excalfaciendi, stringendi, & expurgandi, quæ caliginem pupillis oculorum offundunt. genarum carnem, cæterasque excrescentias extenuant. Scisile rotundo efficacius intelligitur. Vri, & torreris chalcitidis modo debent. Putrescentia ulcera compescunt: sanguinis fluxiones inhihent: gingiuas humore prægnates comprimunt: motus dentium cum aceto, & melle firmant. Profunt cum melle ulceribus oris, eruptionibus papularum, & fluxionibus aurium, cum sanguinalis herbæ succo. Lepris conueniunt cù brassicæ folijs, aut melle cocta: item pruriti, & unguium scabritijs, pterygijs, & perionibus, aspersa cum aqua. Valent cum aceti sæce, & galla, pari pondere cremata, ad phagedænas ulcerum: & cum salis duabus partibus, ad uitia, quæ pascunt. furfures, cum eruo, & pice illita abstergunt: ad lentes, pediculos, ambusta, cum aqua illita auxilio sunt. Contra tumores, & graue alarum, inguinūque uirus illinuntur. Ex Melo autem aduectum, mulieribus præstat ne concipiant, ante coitum ori vuluæ inditum: partus quoque extrahit. gingiujs, si caro excreuit, uis ac tonsillis accommodantur: ori, auribus, & uerendis, cum melle illinuntur.

Aluminis consideratio.

TAMETSÍ scripserit Dioscorides plurima esse Aluminis genera; non tamen plura, quam tria hoc loco statuit recensenda, nempe scisile, rotundum, & liquidum: quòd fortassis suo tempore ijs tantum uterentur medici. Veruntamen hæc ætate officinæ complura habent genera, quamuis rotundo, & liquido careant: nimirum Rupeum, quod uulgò uocant Alume di rocca: squamosum, quod uulgò dicunt Alume scagliolo: item è uini sæce confectum: necnon illud, Catinum iisdè uocatum: quibus accedit, quod plumeum appellant: quòd tamen legitimum scisile nõ est, etsi iandudum cum cæteris rei metallicæ studiosis crediderim scisile alumen nil aliud esse, quam quod uulgò officinis uocatur Alume di piuma. Sed hoc (ut postea dicetur) nil aliud nunc esse censemus, quam lapidem amiantum: quòd gustu non sit adstringenti, sed acri, quòdq; igne nunquam comburatur, quod est amiantum lapidis proprium. Legitimum alumen scisile Pisis misit ad me hoc anno clarissimus medicus Lucas Ghinus, notis omnibus refertum, quas illi reddidit Dioscorides, & gustu admodum adstringens. Quo postea factum est, ut diligentius exploratis plumei aluminis tum notis, tum qualitatibus, facile deprehenderim plumeum hoc non esse scisile. Cæterum Brasauolus de alumine differens in suo simp. med. examine, nil aliud liquidum esse contendit, quam rupeum. Sed ab eo, licet uiro eruditissimo, uariata opinio nostra. Nam quòd ego in Alumerijs Pontificis maximi in Romano agro prope Tolsan per biennium moram duxerim, eo nimirum tempore, quo Augustinus Chisius opulentissimus mercator cuius meus, illas aluminis faldas

Brasauoli opinio reprobata: item Fuchsij error.

dinas

dinas à Pontifice emerat, ampla sanè mihi fuit facultas tum uidendi, tum etiam discendi, quo artificio, quâue ratio-
 ne, rupeum conflaretur alumen. Quamobrem facile testari possum rupei aluminis materiam liquidam, fluxilemque
 non reperiri, sed lapideam: quin etiam non exponi æstiuis solibus exiccandam, ut putat Brasauolus, quod sic (ut ipse
 inquit) scripserit Plinius liquidum fieri, & addensari. In eodem Brasauoli errore uersatur etiam Fuchsius medicus
 alioqui eruditissimus: quippe qui putat libro de compositione medicamentorum Alumen liquidum esse illud, quod of-
 ficinis rupeum, uel roche uocatur. Fit itaque Rupeum alumen ex durissimo quodam lapide, cuius duo obseruauimus
 genera: alterum durius, & rufescens: alterum uerò mitius, & candidans. Quod autem è candido fit lapide, albe-
 dinem seruat & crystalli instar translucens conspicitur. Alterum uerò contrà rufescit, & maiore acrimonia pollet,
 uisiturque sordidius. Expeditur candidum sericeorum staminum insectoribus: item ijs, qui præstantiora lanarum uelle-
 ra coccineo colore tingunt, quòd altero nitidius, minusque acre habeatur. Foditur aluminis lapis è rupe quadam aper-
 to undique caelo, non autem in concameratis cuniculis. Ingens ibi fossorum caterua perpetuò commoratur, qui par-
 tim mucronatis lignibus ex ualidissimo chalybe temperatis, partim ferreis malleis, ipsisque ingentibus, partim acutis-
 simis cælis, cuneisque hunc lapidem frangunt, lacerant, scindunt, conterunt, ac diducunt, ea demum ratione, qua la-
 picidæ operantur in ingentibus lapidum, marmorumque fodiis, quæ ad magna effodiuntur ædificia. Transferuntur
 deinde confracti lapides in fornaces calcarijs similes, ubi ualidissimis ignibus, eo sanè modo, quo calx, nocturno præ-
 sertim tempore inuruntur duodecim, aut ad summum quatuordecim horarum spatio: quippe si diutius urerentur, cun-
 cta aluminis materia inaresceret. Postquam autem refrixerint, plaustris in amplissimas areas sub dio, & solibus eos
 comportant, ibique in planos componunt acernos, hortorum toris persimiles, sed longè, lateque grandiores, latiore fun-
 damento, quam uertice. Compositis igitur hoc modo in areis aceruis, aquam quæ utrinque continuo excurrit, in lapi-
 dum acernos mittunt, quibusdam excavatis instrumentis, è ligno conflatis, ijs perquam similibus, quibus nauis suis
 è scaphis aquam eximunt; id tribus, aut quatuor uicibus quotidie repetentes, donec diuturna aquæ affusione, peru-
 sti lapides usque adeò macerentur, ut in terram quandam lentore madidæ argillæ similem, permulentur: quod tamen
 non fit, nisi aqua perluantur, ad trigessimum sextum, aut quadragesimum usque diem. Excavant præterea lignibus
 terram hanc, & ad fornaces cortinasque, quas caldarias uocant, curribus item conuehant. Sunt autem caldariæ sic di-
 ctæ cortinæ admodum capaces, & super amplissimum æneum fundum patina instar, suppositam fornacem prius ex-
 tructam undique operientem, ex lateribus, & calce fabricatæ, & crusta quadam pertinaci undique circumlitæ. Has ita-
 que aqua replent, aquæ ductibus eò deducta: deinde in subsidentem fornacem, ualidissimum succendunt ignem, ut de-
 missa ferueat aqua. Hoc cum factum fuerit, comportatam ex areis terram in feruentem aquæ aluicem conijciunt. A-
 stant utrinque bini robustissimi artifices, qui ueluti remigantes, magnis quibusdam ligneis instrumentis (pallas uocant)
 continuo inmissam terram aquæ commiscant, quousque aqua omnem aluminis materiam in se conceperit. Subinde ter-
 ræ recrementum, instrumentis iam dictis trahunt ex aluci fundo, & per propinquam ibi fenestram in quendam aquæ
 riuulum proijciunt alio deducendum. Quo facto iterum nouam superindunt terram, modo quo diximus commiscantes,
 & recrementum auferentes. quod tandiu prosequuntur, quousque intelligant aquam tantum aluminis materiæ sibi ascen-
 disse, quantum sat fuerit. Demum parumper quiescere dimitunt, ut si quid recrementi sit, in imum descendat. Mox
 calentem aquam alumine refertam extrahunt, & suis aquæ ductibus ad id paratis in magnas quasdam capsas ex qua-
 rna materiæ factas transferunt. Ibi enim octo dierum termino alumen conficitur internis parietibus inhærescens ada-
 mantinis mucronibus simile, & crystalli instar pellucidum, ad quatuor, aut quinque digitorum crassitiem. Alumine
 porro ita concreto, lixiij reliquum (sic enim uocant decoctum) à quo secessit alumen, iisdem aquæ ductibus è capsis
 illis eximentes, ad caldarias ita eis uocatas, remittunt, id scilicet, quod clarum defæcatumque sit: nam turbidum, &
 recrementitium, aperto foramine in receptaculi fundo, tanquam inutile per riuulum defrui, & delabi sinunt. Post
 hæc aluminosum recrementum, quod minutis particulis granorum tritici instar ad fundum resedit, ad cortinas illas
 magnas iterum discoquendum comportant. Demum capsæ fundo scopis omni ex latere mundato, quibusdam ferreis,
 ligneisque instrumentis concretum in parietibus alumen diducunt, diductumque eximunt, & exemptum in uimneas fi-
 scellas conijciunt, & in quodam aquæ aluco lauant, fiscellis in aquam demersis. Eximunt postea, & aqua excolata in
 acerium domibus asseruant, salis modo. Ex his itaque omnibus apertissime cognosci potest, rupeum alumen nullam
 habere cum liquido cognationem. Quandoquidem asserit Plinius libro xxxv. cap. xv. fieri liquidum ex aqua li-
 moque, hoc est terræ exudantis natura: corruatum hyeme, æstiuis solibus maturari. probari autem quod limpidum
 lacteumque sit, sine offensis fricantium, cum quodam igniculo caloris. Si uerò adulteratum sit, deprehendi succo mali
 punici: quòd sincerum ea mistura nigrescat. Sed hæc non inueniuntur in rupeo, ut quod magis glaciem, crystallumque
 refrat, quam lac: fiat item ex durissimo lapide, non ex limo: nec affuso punici succo nigrescat, sed longè magis pel-
 luceat. Hinc igitur fit, ut non modò à Brasauolo dissentiam, & à Fuchso uiris alioqui citra controuersiam doctissi-
 mis; uerum etiam à Cornario, quòd & ipse in commentarijs in Galeni libros de compositione medicamentorum secun-
 dum locos, Brasauolum fortasse secutus, scripserit, Rupeum alumen, quòd uulgò uocant Alume di rocca, esse liquidum
 Græcis uocatum. Verum enim uero liquidum Alumen, quin & scissile, rotundum, placites, & plinthites nuper ad
 me misit Bartolomeus Maranta Apulus, medicus apprime eruditus, & medicæ materiæ studiosus, atque diligentissimus
 inquisitor, qui ex sese Puteolis Campaniæ iam pridem hæc omnia aluminum genera comperit, quæ sanè nullis, nime
 fallit iudicium, notis à legitimis disident. Huic ergo uiro eorum aluminum cognitionem libentissime acceptam refero,
 & quas possim ago gratias. Scio tamen ijs ingentes deberi, qui ut ipse sua inuenta cum alijs quoque communicare non
 grauantur. Liquidum item Alumen ex Ilua Tyrrheni insula aduectum, quòdque manibus ductum lentescit, antea ad me
 miserat clarissimus medicus Lucas Ghinus, Plinianæ descriptioni uotis omnibus respondens, adeoque adstringens, ut
 nunquam meminerim medicamentum aliquod degustasse, quòd gustui tantum adstrictionis relinqueret. Porro quod ro-
 tundum

Aluminis ru-
pei faciendi ra-
tio.

in. Br. 1014
1. 103 27 101

200 2100
1000 1000

1000 1000

Alumina co-
guita.

1000 1000

M m tundum

tundum Græci uocant, tametsi non desint, qui sibi persuadeant, id esse quod officinæ à sacchari effigie zuecharinum appellant, ex crudo alumine rupeo, onorum albo, & stillatitia rosarum aqua paratum; cum tamen non inueniatur rupeum ueteribus cognitum fuisse, cur eorum iudicio subscribam non habeo. præsertim quod legitimū nunc apud me sit. Quod præterea Catinum appellant, ex cuiusdam plantæ cinere, chali Mauritanis uocata, conficitur ad uitra in fornacibus expurganda. Plantam hanc nos uulgò uocamus Soda. Prouenit hæc (ut alibi scripsimus) in litoribus maris, falso admodum sapore. Cæterum quod ex uini fæce paratur, sit conformatis è fæce pambus, deinde sole siccatis, & igne tandiu perustis, quousq; candorem conceperint. Postremo Squamosum (sic enim uoco alumen illud, quod uulgò dicitur Alume scagliola) ex squamoso quodam sit lapide, & uetri modo pellucido, qui nonnullis specularis appellatur, quod fortasse selenitis modo speculi præbeat effigiem. nos Asini speculum dicimus. Hunc itaque in ignem conijciunt, aut ferri laminis igne candentibus superimponunt. Incensus enim illico claritatem deperdit, dissiliq; in tenuissimas laminas, & gypsi modo albescit, eiusq; induit speciem. Quamobrem maxime falluntur, qui sibi persuadent, inter lapidem specularem, & Talcum uocatum nullam intercedere differentiam. Quippe (ut mihi quidem experientia compertum est) non sine magno labore, & flagrantissimo fornacis igne, Talcus inuri potest. Specularis lapidis puluis nondum ignem experti, in miris laudibus quibusdam effertur ad dysentericos, in uino austero potus: exustū enim non probauerim, quod gypsi specie induta, sumentes strangulet. Aluminum uires paucis perstrinxit Galenus lib. IX. simplicium medicamentorum, sic inquit. Stypteria, huius medicamenti nomen ab adstrictione deductum est: nam adest illi uehementissima. Cæterum cum sit crassarum partium, tenuior quodammodo est alijs aluminū generibus, quod uocatur schiste, hoc est fossilis: proxima est strongile, id est rotunda, & astragalote. Admodum autem crassa est tum liquida, tum placites, & plinthites appellata. Et libro IIII. de compositione medicamentorum secundum genera, idem ait. Omnes aluminis differentiæ ulcera satis exiccant generosè adstringentes: quare nemo solis ijs ad ulcera utatur. hæc Galenus. Sed non desunt, qui Dioscoridem secuti, alumen omne non parum excalcifacere opinentur: contra uerò qui contendunt id omnino esse falsum, potius frigefacere ipsum existimantes, Galeni auctoritate freti. quippe qui lib. IIII. simplicium medicamentorum scripserit, omnia quæ adstrictoria sunt facultate, esse frigida, ac terrestria. Veruntamen si rectè diligenterq; expendantur aluminum quoruncunq; effectus, & facultates, quibus in corpus nostrum agunt, nemo quidem inficias ire poterit, quin aluminis omne genus non obscure excalcifaciat, quemadmodum chalcantum, chalcitis, & misy: quæ cum ualenter adstringant, non tamen refrigerant, sed maxime excalcifaciunt, ut idem testatur Galenus libro primo de simplicium medicamentorum facultatibus, dum inquit. Quin uerò et Asclepiades Metrodorus tanquam illum etiam superare contenderet afferendis de sensu mendacijs, cum alia quædam, tum resinam, & bitumen excalcifacere nos denegat, atq; adstringentia omnia refrigerare dicitur, cum si nihil aliud saltem chalcitis, chalcantibos, & misy, quæ ualenter adstringunt, tantam asscuta sint caliditatem, ut nos etiam exuriant. Nihil est ergo mirandum, si prolixa quædam nugentur, seipsosq; nonnulli fallant, cum de manifestò apparentibus, uerum fateri non audent. Et libro IIII. de compositione medicamentorum per genera capite primo illud idem affirmauit, his uerbis. Porro diphryges appellatum pharmacum ulceribus ægrè humiditatis uitio ad cicatricem ueniens aptissimum est: ualde nanq; siccatur, etsi modicè mordeat. Enimvero id quoq; præter acrem tum qualitatem, tum potentiam uim habet adstrictoriam, quas tamen ambas fortiores, & chalcitis cruda, & chalcantum representat. Quin & alumen quodlibet ulcera satis exiccatur generosè adstringens. Ex quibus locis citatis palam est, etsi Galenus lib. IIII. de simplicium medicamentorum facultatibus, scribit omnia adstringentia esse frigida; non tamen eum inter ea recepisse chalcantum, chalcitin, misy, diphryga, æruginem, & alia quædam, ut alumen omne genus: præsertim quod facile compertum habeam, aluminis cuiuscunq; stillatitiam aquam, maxime rupei, non modo carnem exedere, sed etiam metalla. Alumen quod Latinis, $\Sigma\upsilon\lambda\phi\upsilon\rho$ Græcis appellatur: Arabibus, Sceeb, siue Seb: Italis, Aluone: Germanis, Alun, & Alaun: Hispanis, Alumbre.

Aluminū uires ex Gal.

Opinio quædam diluta.

Nomina.

Θέρον. SVLPHV R.

CAP. LXXXIII.

SVLPHV R optimum existimatur uiuum, quod apyron uocant, nitedulæ modo splendidum, perlucens, minimè lapidosum. Probatur in genere sulphuris ignem experti, quod uiret, ac præpingue spectatur. Plurimum in Melo, & Lipara gignitur. Supradictum sulphur calcfacit, discutit, & celeriter concoquit. Prodest tussibus, suspiriosis, purulenta extusientibus in ouo sumptum, aut suffitum: præterea partus ulsi nidore extrahit. Lepras, lichenas, scabros vngues, cum resina terebinthina mistum aufert: cum aceto autem illitum, ad lepras efficax est: vitiligines tollit. Scorpionis ictibus, addita resina, medetur: cum aceto uerò, draconis marini, scorpionisque plagas sanat. Pruritus toto corpore erumpentes, cum nitro detersum sedat: regium morbū emendat, insparsum fronti cochlearis mensura, aut in forbili ouo sumptum. Facit ad grauedinem, & destillationes: sudores quoq; conspersum inhibet. podagricis cum aqua & nitro illitum, conducit. grauitatem auditus, suffiti nidorem raptim per fistulam hausto, sanat. Lethargicos suffitu excitat: erumpentem vndecunque sanguinem sistit. Contusis auribus, cum uino & melle illitum, medetur.

Sulphuris cōsideratio.

SVLPHV R tam sponte & per se nascens, quod uiuum appellant, quam arte in fornacibus factū, frequentissimum habetur in Italia: sed non omnibus unus tantum color. quippe aliud uiride, aliud luteum, aliud cinereum, aliud pallidum spectatur. Quod autem sponte fit, uiuum appellatum, exterius colore est subcinereo, interius uerò cum frangitur, sublutco, nitedulæ modo splendens, ut Dioscorides inquit: iisdemq; oritur locis, ubi faciitij uena foditur. Est autem

autem Sulphur fossitum medicamentum e pingui quadam terrae substantia prognatum, ut in compluribus uisitur locis, quae impense calida sit, & sicca: adeo ut à chymistarum auctoribus, igni natura simile Sulphur dicatur. Vocant id ij masculum semen, & primum naturae agens ad omnia metalla procreanda. Cum autem calidum sit, & siccum, quinctiam pingue (ut diuturna constat experientia) maximam cum igne trahit cognationem: siquidem non flammæ ignium modò; sed prunis quoque admotum, statim accenditur, nec unquam accensum extinguitur, quousq; pinguis, & oleosa eius substantia in uniuersum igni absumat. Verum enimuero etsi præ se ferat Sulphur temperamentum non obscure calidum, & siccum; non tamen credendum fuerit tam puram, sinceramq; id esse materiam, ut per se tantum consistere queat. neque etiam cogitandum, ei non esse necessarium, ut sibi humiditatem asciscat, qua formam congruam suscipiat, quemadmodum mista quælibet exposcunt. Id enim nobis indicat eius uelocissima, ac facillima diffusio, cum statim igni admotum colliquecat, metallorum modo. Foditur aperto undique caelo, non autem in cuniculis, & subterraneis specubus. In his nanque tum uehementi calore, tum foetidissimo terræ halitu, fossiores illic deperirent. Porro effossa Sulphuris uena, fictilibus quibusdam magnis imponitur Romanis hydrijs non absimilibus, longo ab ore dependente rostro, intus uacuo, ac in humum spectante, uitrei pilei instar, quo stillatiæ aquæ confluunt. His itaque fictilibus sulphurea uena repletis, fictilibus pariter operculis ad id diligenter conflatis, contingunt, stipanturq; tenacissimo luto, creta, & equino stercore composito, ne tantillum quidem exspirare possit sulphureus uapor. His peractis in fornacem crates duas ferreas intus habentem fictilia deferuntur, & in superiorè cratem firmantur, eodem luto undique stipata, adeo ut ignis flamma, qui in infima accenditur crate sub fictilium fundo, nullo pacto in sublime ferri possit. Ad hæc fictilium rostrum in aliud uacuum fictile inserunt, per quoddam in latere orificium, & eadem creta quam diligentissime circumlinunt, obducuntq; maximè. Demum ignem succendunt sub fictilium fundo, cuius ui depuratum sulphur in sublime fictilium fertur, & per rostri concauitatem in uacuum sibi annexum descendit receptaculum: à quo tandem fluens eximitur, aperto in fundo foramine, & alijs uasis excipitur, ubi in magnos coit globos. Hac sanè ratione Sulphur fieri conspeximus in agro nostro Senensi in montibus non longè à balneis diui Philippi, & in maritimis apud Petriolum. Sulphuris uires memoriæ prodidit Galenus libro 1 x. simplicium medicamentorum, sic inquit. Sulphur omne trahendi uim possidet, estq; temperamenti calidi, atq; essentiæ tenuis, adeo ut ad multa uenenatorum animalium resistat. Siquidem ego aduersus pastinacam marinam, & draconem sæpenumero eo sum usus, & cum id piscatores quosdam docuisssem, reuerso post aliquantum temporis magnificè medicamentum hoc commendarunt. Vsus eius est, ut & siccum ictui inspergatur medicamentum, & cum salina mistum: nam cum & hoc excogitasssem, ab experientia comprobari reperi. Sed & urina maceratum idem effectum excogitauit. Docebat enim piscatores medicamenta maximè parabilia, dixitq; pulchre illos & cum oleo ueteri, & melle, & resina terebinthina usuros. Et sanè horum omnium experientia iudicium præstitit. Quin & psoras, & lichenas, & lepras, non raro hoc medicamento cum resina terebinthina sanauit. Extergit enim omnes id genus affectus, absq; ut in profundum repellat, cum alia multa medicamenta, quæ illos curant, mistam habeant potentiam, nempe ut digerant pariter & repellant. Præterea, ut idem Galenus inquit lib. v i. cap. 11. de compositione medicamentorum per genera, in compositione emplastris ὄζυς συν' ἄλλας, Sulphur tanto calore præditum est, ut ubi diuinius inhaereat, procul dubio exulceret. Sulphur siue Sulfur Latinis dictum, Græcis θείον appellatur: Arabibus, Cribrit, & Râbric: Italis, Solfo: Germanis, Schuuebel, & Lebendiger: Hispanis, Piedra azufre.

Sulphuris faciendi ratio.

Sulphuris uires ex Gal.

Nomina.

Κίονησις. PVMEX. CAP. LXXXIII.

40 PVMICIS probatio, ut magnopere leuis, spongiosus, scissilis, nec arenosus, item teri facilis, & candidus. Crematur flagrantissimis carbonibus obrutus, & ubi canduerit, extractus, vino restinguitur odorato: iterumque incensus, restinguitur: & tertia uestione exemptus, & per se refrigeratus, ad usum conditur. Vis eius adstringere, gingiuas abstergere. purgat cum calfactione, quæ pupillis caliginem offundunt: explet ulcera, & ad cicatricem perducit: excrescentia cohibet. Fit ex farina eius dentifricium. Corpori crustam obducit: auellendis capillis aptus. Theophrastus auctor est, si quicquam in bullientem urceum uini pumicem iniecerit, feruorem statim fedari.

50 PVMICEM ambustum esse lapidem in montium concauitatibus, omnes serè fatentur naturæ operum exploratores. Ob id enim pumices sæpius eructat mons Aetna in Sicilia, & in Campania Vesuuus, qui hoc tempore, annis nuper elapsis, non secus quam Plinius etate, ingentibus flammis exarsit, cum magno Putcolorum, & adiacentium locorum detrimento, igne in terræ uisceribus genito, è sulphureis uaporibus, & bitumine, quo quàm plurimi referti sunt montes, eoq; præsertim, quod Græci pissâphaltum dicunt. Pumicis uires duobus locis reddidit Galenus. libro 1 x. simplicium medicamentorum, ubi de eo primum ita scribit. Si pumex inter lapides recenseri potest, et ipse eiusdem est facultatis, quod certè ad abstersionem attinet, uelut etiam figulina testa, ac multò magis ea, quæ fornaciu est. Sed smiris acrimoniæ quiddam obtinet: proinde causticis, & desiccantibus facultatibus quidam ipsum miscent, eisq; quæ curant gingiuas laxas, ac mollitiæ fluidas. Pumex autem si comburatur, haud erit inferior eosdem ad usum snire. Secundo autem loco idem de pumice differit his uerbis. Pumicem si inter metallica recenseas, calumniabuntur, qui bus animus prurit accusandi libidine: etsi inter lapides ponas, lapidem esse negabunt: ac multò minus terram esse concedent, nec marinorum haberi quodpiam. Atqui alieni tamen de illo dicendum est: quippe qui in sarcotica indatur medicamenta, & ea quæ dentes extergunt, partim uestionem non expertus, partim etiã uestus, quando uidelicet alijs omnibus combustis similiter substantiæ efficitur tenuioris. Cæterum uestione quiddam acquirat acrimoniæ, quam rursus

Pumicis consideratio.

Pumicis uires ex Galeno.

M m 2 sus

Nomina.

fus lotione exiit. Videri autem poterit splendorem conciliare, non tantum facultate; sed etiam asperitate, uelut etiam si smirin, aut testam, aut hoc genus quippiam tritum admoueat, Quæ certè & ipsa splendorem afferunt, foris utroque, tum quia detergendi habeant facultatem, tum quia asperitatem. Eundem in modum cornua deusta dentes splendidos efficiunt. Pumex qui Latinis, Græcis κλωπις uocatur; Arabibus, Fanech; Italis, Pomice; Germanis, Einbins; Hispanis, Piedra pomex.

Ἀλς. S A L.

CAP. LXXXV.

SAL fossilis efficacior est. communiter, si est candidus, calculis uacans, & perspicuus, densus, æquali compage. Peculiariter Ammoniacus natione laudatur, si modò findi facillè possit, & in recta segmenta diduci. In marino sale eligendus est candidus, æqualis, densus. Probatissimus in Cypri fit, & Salamine Cypri, & Megaris, in Sicilia, & Aphrica. Sed inter dicta salis genera lacustris præfertur: sed multò ualidissimus est Phrygius nomine tapeus, aut tritæus, aut gantæus. Salis natura in commune perquam utilis est: adstringit, absterget, expurgat, dissipat, reprimat, extenuat, & crustas inducit. sed hoc interest, quòd alius alio sit præstantior. Quin & à putredine vindicat. Admiscetur medicamentis pforas abstergentibus. excrementa in oculis reprimat, & pterygia consumit, cæterasque carnis extuberationes tollit. Clysteribus infunditur: discutit lasitudines ex oleo illitus. Contra hydropicorum tumores auxiliatur: dolores in faccis fotu mitigat: & pruritus sedat, ex oleo & aceto infriçtus ad ignem, donec sudent: item lichenas, lepras, pforasque. Anginam ex melle, aceto, & oleo illitus leuat: tonsillis, uæque cum melle tostus. Vlcibus in ore manantibus, gingiuis, quas humor vexat, & phagedænis vlcum, cum polenta crematus illinitur. Aduersus scorpionum ictus cum lini femine: contra serpentium morsus, cum origano, melle, hyssopo: aduersus cerasten cum pice, aut cedria, aut melle auxiliatur: contra scolopendræ morsus, cum melle, & aceto: aduersus vesparum ictus, & teredines, albidasque capitis pustulas, thymos, & tubercula, cum seuo vitulino: furunculos, cum uua passa, aut suillo adipe, aut melle discutit: testium tumores, cum origano & fermento maturius concoquit. Crocodilorum morsibus auxiliatur, tritus in linteolo, & intinctus aceto, ita ut vinculis loca constringantur. Prodest ad bestiarum morsus, & ad fugillationes in facie ex melle. contra haustum opium, & fungos, cum aceto mulso bibitur. Luxatis imponitur cum farina, & melle. ambustis igni cum oleo impositus, pustulas erumpere non patitur. Podagricis itidem imponitur, & aurium doloribus, cum aceto. ignes sacros, & vlcera, quæ serpunt, cum aceto, aut hyssopo illitus sistit. Vritur fictili, diligenter opertus, ne exiliat, conditusque prunis, vsquedum effereuecat. Aliqui fossilem subactò polline obliniunt, & carbonibus subiiciunt, vsquedum eius crusta exuratur. Solet & sal communis hoc modo vri. Aqua semel abluitur, & siccatus in ollam coopertam mittitur subdito igne, moueturque, donec iam non exiliat.

Ἀλς ἄχμη. SALIS SPUMA.

CAP. LXXXVI.

SPUMA salis spumosi maris lanugo, siue ramentum est, in exilibus petris inuentum. cui uis eadem, quæ salis.

Ἀλμη. MVRIA.

CAP. LXXXVII.

MVRIA effectus salis præbet, abstergitque: dysentericis infunditur, etiam si nome intestina corripit: & ischiadicis veteribus. Ad fotus, aquæ marinæ usum præstat.

Ἀλς ἄθος. FLOS SALIS.

CAP. LXXXVIII.

FLOS salis flumine Nilo defluit: lacubus tamen quibusdam innatat. Assumendus qui crocei coloris est, odore ingrato, ceu gari. interdum longè magis uirus olet, gustuque mordacior, & pinguis lentus. Fucatus autem rubrica, aut scrupulosus, improbatur. Præterea syncerus non nisi oleo resoluitur: adulteratus nonnulla ex parte, etiam aqua, diluente factitium colorem. Ad ulcera, quæ cacoëthe uocantur, & phagedænas, genitalium nomas, & purulentas aures, efficax est: oculorum hebetudines, cicatrices, albuginesque tollit. Emplastris, unguentisque coloris causa, ut rosaceo, miscetur. Sudorem cit, aluum turbat, in uino aut aqua sumptus: stomachum malè habet. Additur acopis, & smegmatis, quæ albandi capilli gratia componuntur. Et in uniuersum acris est, & feruentis naturæ, ut sal.

Salis omnis generis consideratio.

SAL, quo frequentissimè in omnibus ferè cibus utimur, & sine quo uiuere nescimus, quo item ad annos asseruantur carnes, pisces, aliaque complura, nullis sanè non cognitus est. Plures tamen in salis genere sunt differentiæ: quæ doquidem præter marinum, fluuiatilis, lacustris, fossilisque reperitur. Marino utitur uniuersa ferè Italia, exceptis Calabris, qui fossitio quam pulcherrimo abundant. quo etiam utitur uniuersa Pannonia. In Germania hauvitur è salsis quibusdam

quibusdam fontibus, quorum aqua digne ignium ni excocta in salem cogitur. Fositium officinae Arabes secuta salem gemme uocant. Huius fodinas uidimus apud Calabros agentes, loco, qui uulgo dicitur Altomonte, ubi lapidum modo exciditur, translucidus crystalli modo. Hic in ignem coniectus prae ceterorum naturam nec disilit, nec crepitat, sed ut ferrum ignescit. Lacustrem haecenus non uidimus, nec fluuiatilem. quanquam Plinius lib. xxxi. cap. vii. tradit plures haberi lacus, ac fluuios, qui salem copiosum reddunt, ut eius uerba, quae subiectam, aperte testantur. Sal omnis, inquit, aut fit, aut gignitur. Vtrunq; pluribus modis, sed causa gemina, coacto humore, aut siccato. Siccatum in lacu Tarentino aestiuis solibus, totumq; stagnum in salem abit, modicum alioquin, altitudine genua non excedens. Item in Sicilia in lacu, qui Cocanicus uocatur, & alio iuxta Gelam. Horum extremitates tantum inarescunt, sicut in Phrygia, Cappadocia, Aspendi, ubi largius coquitur, & usq; ad medium lacum. Aliud etiam in eo mirabile, quod tantundem noctu subuenit, quantum die auferas. Omnis est talis sal minutus, atq; non gleba est. Sunt etiamnum naturales differentiae tres. Namq; in Baetris duo lacus uasti, alter ad Scythas uersus, alter ad Arios, sale aestuant, sicut ad Cittum in Cypro, et circa Memphim, extrahunt lacu, deinde sole siccant. Sed & summa fluminum densantur in salem, amne reliquo uelut sub gelu fluente, ut apud Caspias portas, quae salis flumina appellantur. Item circa Mardos, & Armenios. Praeterea apud Baetros amnis Ochus, & Oxus ex appositis montibus deferunt salis ramenta. Sunt & in Aphrica lacus, & quidem turbidi, salem ferentes. Ferunt quidem & calidi fontes, sicuti Pagusei. Et haecenus habent se genera ex aquis sponte prouenientia. Sunt & montes natiui salis, ut in Indis Oromenus, in quo lapidinarum modo creditur renascens, maiusq; regum uectigal ex eo est, quam ex auro, & margaritis. Effoditur & e terra, ut palam est, humore densato, in Cappadocia. Ibi quidem creditur specularium lapidum modo. Ponderis magni glebis, quas micas uulgo appellat. Carrhis Arabiae oppido muros, domosq; massis salis faciunt, aqua ferruminantes. Inuenit & iuxta Pelusium Ptolemaeus rex cum castra faceret. Quo exempto postea inter Aegyptum, & Arabiam etiam squalentibus locis coeptus est inueniri, detractis arenis. qualiter & per Aphricae sitientia, usque ad Ammonis oraculum. Is quidem crescens cum luna noctibus. Nam Cyrenaeici tractus nobilitantur Ammoniacus, & ipso, quia sub arenis inueniatur, appellato. Similis est colore alumini, quod schiston uocant, longis glebis, neque perlucidis, ingratus sapore, sed medicinae utilis. Haecenus de sale Plinius. Ceterum Ammoniacus sal, qui legitimus sit, ad nos conuechi desijt: quippe factitius, adulterinusq; est, qui passim in seplasiariorum officinis uenditur, plerumque e Germania allatus, nigricantibus exterius glebis. Non desunt tamen, qui credant consisti hunc ex camelorum urinis, artificio quodam concretis. Sed cur his ad stipulari debeant, non equidem uideo, praesertim cum Germania, unde Venetias conuechitur factitius, camelos non habeat. Seplasiarij, pariterq; chymistae sal Armeniacum appellant, quod fortasse existiment ex Armenia adferri, ubi innumeri sunt camelorum greges. Sed isti, mea quidem sententia, hallucinantur. Serapio (Isach Arabici testimonio) scribit salem Ammoniacum fieri e lapidibus durissimis, & translucidis. Sed & is fallitur, meo iudicio: siquidem Ammoniaci nomen non aliunde sibi comparauit, quam ab arena, quae a uulgo Graecis dicitur, sub qua in laminas concretus, inuenitur in Cyrenaeica regione. Venit praeterea in medicorum usum sal, quem Arabes Alchali cognominant, item Alumen catinum, de quo superius in alumine diximus. Sal autem Indus appellatus (ut libro secundo retulimus) nil aliud antiquis extitit, quam saccharum in sacchariferis arundinibus in India gummi modo concretum, cuius nunc loco utimur supposititio, quod seplasiae zucebarum candidum uocant. Veruntamen animaduertendum est, quod quanquam Paulus, & Auicenna eum fortasse secutus, concretum natura saccharum salem Indum appellant; non tamen fuerit putandum, quod Indi legitimum salem non habeant. Quandoquidem (ut Plinius est auctor) in Oromeno Indiae monte lapidinarum modo foditur ingentibus glebis. proinde dicebat Mesues de sale scribens, Naphiticum, & Indicum ceteros sales praecellere. Quod autem Salnitrum uocant, tormentorum bellicorum pulueribus expetitum, uulgaris notitia est, de quo tamen latius sequenti capite sermonem faciemus. Ceterum salis spumam pluries legi quibusdam in scopulis Tyrrheni maris. Cum enim procella exoritur, intumescitq; pelagus, spumantes aquae in altum sublatae, scopulorum cauitates replent. quo fit, ut ibi sub dio remanentes solibus, & rore, aestiuis caloribus, in salem album concresecant. Mirra porro, qua innumera asseruantur edulia, nota omnibus res est, ut quae sale tantum, & aqua conficiatur. Sed quidam ueteribus flos salis fuerit, decernere non ausim, neque plura quod scribam habeo, quam quae a Dioscoride produntur. Eius tamen meminit Plinius loco supra citato, sic inquitens. Salinarum sinceritas summam facit suam differentiam. Quaedam enim fauilla salis, quae leuissima ex eo est, & candidissima flos salis appellatur. Et flos quidem salis, in totum diuersa res, humidiorisq; naturae, & crocci coloris, aut rufi, ueluti rubigo salis. Odore quoque ingrato, ceu gari, dissentiens a sale, non modo a spuma. In Aegypto inuenitur, uideturq; Nilo deferri. & fontibus tamen quibusdam innatat. Optimum ex eo, quod olei quandam pinguitudinem reddit. haec Plinius. Porro color rufae rubiginis instar pictoribus expetit, e Germania salinis aduectus, qui fortasse flos ipse salis fuerit: nam colore, & sapore illi non obscure respondet. uulgo appellant Morello di sale. Verum cur non hoc plane affirmem, illud mihi obstare uideo, quod color is non sit liquidus, neq; oleosus, sed aridus. quare potius inclinatur animus, ut ipsum credam esse salis rubiginem, de qua ex Plinio paulo ante mentionem fecimus. Fuchsius medicus ingenio & eruditione clarus, in libro de compositione medicamentorum, quem auctum secundo edidit, nihil aliud esse putat florem salis, qui Dioscoridi ἀλὸς ἄρδης dicitur, quam balenarum semen, quod Germanis medicorum officinis Sperma ceti nominatur. Qua in re is fortasse secutus est sententiam Georgij Agricolae rei metallicae acerrimi indagatoris. Sed utcumq; sit, non equidem possum horum quanuis eruditorum uirorum iudicio subscribere. nam res illa tantum abest, ut sit crocci aut rufi coloris, ut etiam candida conspiciatur. Adde, quod flos salis Dioscoridi & Plinio flumine Nilo desluit, & lacubus seu fontibus quibusdam innatat: hoc autem Sperma ceti uocatum in mari colligitur, atq; etiam in paludibus maritimis inuenitur. Id forte a maximis illis piscibus effunditur: quod tamen non ita liquidum apparet, ut de flore salis Galenus memoriae prodidit. Salis autem meminit idem Galenus

Sal Ammoniacus.

uulgo dicitur
morello di sale
cristallus

Fuch. opinio
improbata.

Salis uires ex
Galeno.

tum inter fossilia medicamenta, tum etiam inter ea, quæ in mari nascuntur libro 1. x. & x1. simplicium medicamentorum, sic inquit. Sal eiusdem genere facultatis est, siue fossilis sit, siue marinus: uerum hoc differunt, quod salis terra effossi substantia magis sit compacta: ac proinde in hoc maior est, & partium crassities, & adstringendi potentia. Itaque marinus affusa ipsi aqua protinus liquefcit, at fossili hoc non euenit. Porro eiusdem speciei cum marino est, qui in stagnis quibusdam falsedinem habentibus nascitur, æstate uidelicet aquis æstu ex ijs absumptis, cuiusmodi est Tragastus non procul à Sminthio. Confluit enim illuc ante aquas spontaneas, quæ admodum sunt calidæ, copiosa aqua stagnans, non amplo in loco: & ea æstate omnis absumitur, à sole uidelicet arefacta. Porro quoniam locus ipse falsedinem natiuam continet, quod reliquum est eius omne, sal est, cognominationem à loco pariter & aquis sortitus. Nam spontaneæ & ipsæ illis in locis aquæ Tragastie nuncupantur, potentia summè exiccatoria: & sanè, qui in ea regione sunt medici, ad hoc illas accommodant. Porro dictum est & de Sodomis in mari mortuo prouenientibus in quarto libro, quem si quis librum diligenter perlegerit, illi tantiam refricare memoriam nunc opus est, ut exposita gustus qualitate, ipse medicamento facultatem cognoscat. Igitur cum qualitas salsa digerat, simul & contrahat contactam ab ipsa substantiam, uocatum aphrolitron in hoc differt, quod in ipso unum modò saporem exuperantem expressè sit uidere, quem uocant amarum, uim habentem digerendi, hand etiam contrahendi, uti sal. Nam hic quicquid in corporibus humidum inest, id totum quodammodo absumit: & quod reliquum est substantiæ solidæ, adstrictione contrahit: ac proinde etiam conditura sua corpora siccant, & à putredine tuetur. Quippe quæ putrescunt, excrementitium continent humorem, substantiamq; tum dissolutam, tum minime compactam. Quibus ergo corporibus nulla prorsus est humiditas superflua, ceu melli optimo, & corpus solidum, & compactum est, ceu lapidibus, ea ut putrescant est impossibile: ac proinde in his salis non probatur usus, uerum in ijs, in quibus suspecta est putredo. Spumosa autem salis efflorescentia multò tenuioris naturæ est, quam sal ipse. quare & extenuare, & digerere multò plus ipso potest: uerum quod substantiæ est reliquum, contrahere ut sal nequit. Ceterum flos salis medicamentum liquidum est, tenuius etiam quam sal usus: tum acris qualitatis, & admodum digerentis facultatis. hætenus de sale Galenus. Sal Latinis dictus, ἄλς Græcis appellatur: Arabibus, Melech, seu Melba: Italis, Sale: Germanis, Salz: Hispanis, Sal.

Nomina.

Νίτρον, ἄφρόντρον. NITRUM, SPUMA NITRI. CAP. LXXXIX.

PRAEFERTUR Nitrum leue, roseo colore, aut candido, in foramina dehiscens, perinde quasi spongiosum quiddam, quale ex Bunis adfertur. Humores euocat, qui in alto concreuerunt. Spuma nitri optima esse putatur leuissima, glebosa, friabilis, colore penè purpureo, aut spumosa, & mordès, qualis ex Philadelphia Lydia defertur. secunda est Aegyptia. quin & in Magnesia Caria gignitur. Vim, & uisionem salis habet, tam nitrum, quam spuma eius. Præterea nitrum tormina sedat, si tritum cum cumino bibatur in hydromelite, aut sapa, aut aliquibus, quæ inflationes discutere possunt, uti ruta, uel anetho. Febribus circuitu redeuntibus illinitur, ante suspectam accessionem. Miscetur emplastris, quæ extrahunt, & discutunt, extenuant, & lepras abstergunt. Cum aqua autem calida, aut uino infusum, inflationes, purulentas aures, & sonitus earundem sanat: fordes expurgat, cum aceto instillatum. Canum moribus ex asinino adipe, aut suillo medetur. resinæ terebinthinæ admistum furunculos aperit: aquæ inter cutem cum fico illinitur: oculis ad claritatem uisus cum melle succurrit: & uenenis fungorum, ex posca potum: aut si buprestis momorderit, ex aqua: ijs uerò qui taurinum sanguinem biberint, ex laserpitio: ijsque qui cibum non sentiunt, uiliter obducitur: opisthotonisque iam remissioribus, & luxatis cum cerato: in linguæ resolutione, pani commodè permiscetur. Aliqui supradicta carbonibus urunt, subiecta prius tecta noua, donec incandescant.

Nitri, & spumæ nitri consideratio.

NITRUM, & nitri spuma, quorum antiquis maximus fuit in medicamentis usus, diu sanè est, quod ad nos conuochi desierunt. Proinde hallucinantur, mea quidem sententia, qui putant Salnitrum uocatum, quo ad tormentorum bellicorum pulueres utuntur, & ad fortissimas aquas conficiendas, quibus argentarij fabri aurum ab argento separant, uerum ac legitimum esse nitrum, cuius meminere Theophrastus, Dioscorides, Galenus, Plinius, & antiquorum alij. Siquidem id manifestè demonstrat Plinius lib. xx1. cap. x. ubi de nitro ita scriptum reliquit. Non est differenda & nitri natura, non multum à sale distans, & eò diligentius dicenda, quia palam est & medicos, qui de eo scripserunt, ignorasse naturam, nec quenquam Theophrasto diligentius tradidisse. Exiguum fit apud Medos, canescentibus siccitate conuallibus, quod uocant halmirhaga. Minus etiam in Thracia iuxta Philippos, sordidum terra, quod appellant agrum. Nam quercu cremata, nunquam multum factitatum est, & iam pridem in totum omisum. Aquæ uerò nitrosæ pluribus locis reperiuntur: sed sine uiribus densandi. Optimum copiosumq; in Clytis Macedonia, quod uocant calastriacum, candidum, purumq; proximum sali. Lacus est nitrosus exiliente è medio dulci fonticulo. Ibi fit nitrum circa Canis ortum nouenis diebus, totidemq; cessat, ac rursus innatat, & deinde cessat. Quo apparet soli naturam esse, quæ gignat: quoniam compertum est, nec soles proficere quicquam, eum cesset, nec imbres. Mirum est & illud, seatebra fonticuli semper emicante, lacum nec augeri, nec effluere. Iis autem diebus, quibus gignitur, si fuere imbres, falsius nitrum faciunt, aquilones deterius, quia ualidius commouent limbum. Et hic quidem nascitur. In Aegypto autem conficitur multò abundantius, sed deterius: nam fuscum, lapidosumq; est. Fit penè eodem modo, quo sal, nisi quod salinis mare infundunt, Nilum autem nitriarijs. Excedente Nilo siccantur, decedente madent succo nitri quadraginta diebus continuus, non (ut in Macedonia) statis. Si autem imbres adfuerint, minus de flumine addunt, statimq; ut densari

fari est ceptum, rapitur, ne resoluitur in nitrarijs. Sic quoq; olei natura interuenit. Ad scabiem animalium utilis. Ipsum autem conditum in aceruis durat. Mirum in lacu Afcanio, & quibusdam circa Chalcida fontibus, summas aquas dulces esse, potariq; inferiores nitrosas. In nitro optimum, quod tenuissimum, & ideo spuma melior. Ad alia tamen sordidum, tanquam ad inficiendas purpuras, tincturasq; omnes. Magnus & nitro usus, qui dicitur suo loco. Nitrariae egregiae Aegyptijs: nam circa Naucratin, & Memphin tantum solebant esse. Circa Memphin detiores: nam & lapidescit ibi in aceruis, multiq; sunt tumuli ea de causa saxei. Faciunt ex ijs uasa. Necnon frequenter liquatum cum sulfure coquentes in carbonibus. Ad ea quoq; quae inueterari uolunt, illo nitro utuntur. Sunt ibi nitrariae, in quibus & rufum exit a colore terrae. Spumam nitri, quae maxime laudatur, antiqui negabant fieri, nisi cum ros cecidisset, praegnantibus nitrarijs, sed nondum parientibus. Itaq; non fieri incitatis, etiamsi caderet. Alij operimentorum fermento gigni existimauerunt. Proxima aetas medicorum Aphronitrum tradidit in Asia colligi in speluncis mollibus distillans, specus eos Calycas uocant: dein sole siccant. Optimum putant Lydium. Probatio, ut sit minime ponderosum, & maxime friabile, colore penè purpureo. hoc in patellis affertur. Aegyptium in uasis picatis ne liquefeat. Vasa quoq; ea sole inarescentia perficiuntur. Nitri probatio, ut sit tenuissimum, & quam maxime spongiosum, fistulosumq;. Adulteratur in Aegypto calce. Deprehenditur gustu: syncerum enim facile resoluitur: adulteratum pungit. Calce aspersum, reddit humorem uehementem: haec Plinius. Ex quibus liquidò constat, nostri usus Salnitrum, antiquorum nitrum non esse, etsi inficias eundem non sit, quin aliquas nitri habeat qualitates. Veruntamen nemini unquam persuasum uelut, ut medicamentis, quae intus in corpus sumuntur, nitri loco Salnitrum absque noxa imponi possit. Et quauis contrarium asserant, scriptisq; tradant Monachi illi reuerendi, qui Mesuem commentati sunt; non tamen credo, hoc id prius in se ipsis expertos esse. Quod nihilominus eos facere decebat, si fraternae charitate ducti sunt, ut alijs suaderent salnitrum tuto assumi posse, cum prima charitas (quod dictum frequenter usurpant) incipiat a se ipso. Nitri meminit Galenus lib. 1 x. simplicium medicamentorum, sic inquit. Nitrum dictum est supra in medio esse aphronitri, & salis uirium: ceterum ustum propius ad aphronitrum accedit, utpote exustione tenuius redditum. Desiccatur itaq; & digerit: & si intro in corpus sumatur, secatur, & extenuatur crassos lentosq; succos potentius multò quam sal. Aphronitrum uerò nisi grauis urgeat necessitas, nemo deuorabit, nimirum inimicum stomacho: quandoquidem plus etiam litro incidit. Sanè ad fungos suffocantes, rusticus quidam eo uti assolet, & semper profuisse probatum est. Ceterum nitro usto, simul & non usto, & multò etiam magis eius spuma, & nos in talibus uti consueuimus. haec Galenus. Qui tamen uidetur ijs, qui codicis mendam non animaduertunt, maximam facere differentiam inter Aphrolitrum, & Aphronitrum, licet haec re diuersa non sint. Nam ubi de Aphrolitro libro citato differit, uulgata exemplaria habent. ἀφρολίτρον ἀφρονίτρον διαφέρει. hoc est. Aphrolitrum ab aphronitro differt. Verum in altera dictione latet uitium, ut quae ἀφρονίτρον, hoc est, a spuma nitri, duabus uocibus legendum sit. Ita fiet, ut Galeno non aphrolitrum ab aphronitro, sed utrunq; a spuma nitri aptè distinguatur. Id quod & Augustinus Ricchus Lucensis, & Leonardus Fuchsius, medici etatis nostrae celebres, doctissime adnotarunt. Ceterum cum Galeno aphrolitrum, siue aphronitrum spuma nitri non sit, quid aliud sit, ingenuè fateor me ignorare: neque id alius, quod sciam, haecenus explicauit. Quod Graeci νίτρον, & λίτρον, Latini Nitrum nominant: Mauritaniam, Baurach: Itali, Nitro. Quod uerò Graecis ἀφρολίτρον uno uerbo dicitur: Arabibus, Baurach Africa: Itali, Nitro di Africa. Quae deinde Spuma nitri Latine, ἀφρός τοῦ νίτρον Graecè uocatur: Arabice, Aphronitrum.

Monachorū error.

Nitri, & aphronitri uires ex Gal.

Nomina.

Τριξ. F A E X. C A P. X C.

40 ELIGENDA Fæx maxime à uino uetere, Italico: sin minus, ab alio consimili. Fæx aceti uiribus longè acrior est. Crematur, ut alcyonium, antè diligenter siccata. Sunt qui noua testa igni largo urant, usquedum penitus incendatur. Alij uiuis carbonibus facis glebam obruunt, & idem opus prosequuntur. Experimentum est legitimæ ustionis, ut aërio nitore inalbescat, linguamq; tactu urere uideatur. Eadem urendæ facis aceti ratio. Vis ei supra modum urens, & abstergens. uicera ad cicatricem perducit, adstringit, uehementer exest, siccaturq;. Sed recenti utendum est, quoniam celeriter exanimatur: proinde non nisi in reconditorio, & uase aliquo reponi debet. Lauatur ut popholyx. Quæ ustionem experta non est, tumores & per sese, & cum myrto cohibet. uentris, stomachiq; fluxiones illita silit: muliebri profluuium imo uentri, aut genitalibus imposita mitigat: panos discutit nondum exulceratos, & tubercula: rigentes mammas, suiq; lactis impatientes, cum aceto peruncta extinguit. Cremata uerò, ungues scabros cum resina aufert. Addito lentiscino oleo, illita nocte tota, rufat capillum. Elota oculorum medicamentis, ut spodos, adijcitur: cicatrices eorum, & caligines eadem abstergit.

F A E X uini uulgaris notitiæ est, quin & ipsius adurendæ ratio nota, ijs praesertim, qui ex hac alumen, quod uocant facis, conficiunt. Porro uini recrementum, quod uinarijs cadis agglutination, crustæ lapidosæ instar inuenitur, officinarum uocabulo Tartarum uocatum, aluum non obscure subducit. Proinde nō desunt, qui sibi adstrictam aluum citè, hausto tartari puluere ex gallinaceo iure, addito mastiches momento, & saccharo: nihil enim incommodi adfert hac ratione paratum. Additum in deiectoria diluta, quæ ex sena, uel polypodij radicibus, uel epithymo parantur, uim eorum deiectoriam adauget. Sunt qui album Tartarum faciunt, diu ipsum in aqua decoquentes, atque subinde desumant. Τριξ sic Graecè, Latine uerò Fæx dicitur: Arabice, Durqi: Italicè, Feccia: Germanicè, Hæfen, & Vucin stein: Hispanicè, Rasura de uino.

Fæcis, & tartari dicti cōsid. & uires.

Nomina.

Α' σ β ε σ ο ς